CAPVT DVODECIMVM

Argumentum.

Hoc capite Eccleſiæ deſcriptio nomine mulieris parturientis, & draconis contra eam, filiumq́ eius inſidiæ continentur. Deinde ipſius, et filij à dracone præſeruatio. Poſt modũ Michaelis, angelorumq́ eius aduerſus draconem, & eius apoſtatas angelos prælium, & triumphus. Eamq́ ob cauſam gratiarum per fideles actio. Demum draconis aduerſus mulierem (quæ obid in deſertum volauit) aduerſus quo omnes fideles exacerbatio.

Et ſignũ magnum apparuit in cælo: Mulier amicta ſole, et luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarũ duodecim, et in vtero habens: & clamat parturiens, & cruciatur vt pariat. Et viſum eſt aliud ſignum in cælo, & ecce draco magnus rufus, habens capita ſeptem, et cornua decem: in capitibus eius diademata ſeptem, & cauda eius trahebat tertiã partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram, et draco ſtetit ante mulierem quæ erat paritura: vt cum peperiſſet, filium eius deuoraret. Et peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea: et raptus eſt filius eius ad Deum & ad thronum eius, et mulier fugit in ſolitudinem vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi paſcat eam diebus mille ducentis ſexaginta. Et factum eſt prælium magnum in cælo. Michael & angeli eius præliabantur cũ dracone, & draco pugnabat et angeli eius: & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo: et proiectus eſt draco ille magnus

nus